





2b. 15





38.  
67

Quod felix faustumq; sit,  
ECCLESIAE ET REIP. LITERARIAE  
SALUTARE

DEO TER OPT. MAX.

Providente

Consentiente

SERENISS. AC POTENTISS.  
ELECTORIS BRANDEBURGICI

&

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI  
voluntate

CONRADUS BERGIUS  
SS. THEOL. D.

Decretam sibi publicam Sacrarum literarum,  
interpretationem aggressurus

*Ad*

Oratiunculam

*Proximo die Jovis in Auditorio majori proæmii  
vice habendam, quo par est affectu omnes &  
singulos studii hujus amatores  
invitat.*



Typis MICHAELIS KOCHII

Anno 1624.





*Ivinè Petrus in posteriore Catholica, simul & perspicuitatem propriam scripturarū, & perspicuitatis huius gradus ac differentias, & addita perspicuitatis, b. e. interpretationis auctoritatem indicat: cum obscuriorē scripturam, ut Prophetas, lucernā; clariorem, ut Evangelium, lucifero; legalem novitiam, illustratā per lucernam nocti; Evangelicam diei comparat: nocturni verò pariter & di-*

*2. Pet. 1, 19,  
20, 21.*

*urni luminis eundem Spiritum Sanctum auctorem laudat. Habemus, inquit, firmissimum sermonem Propheticum: cui rectè facitis quod attendatis velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usq; dum dies illucescat & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Si illud primum noveritis, nullam prophetiam scripturæ esse propriæ explicationis. Non enim libitu hominis allata est olim prophetia; sed acti à Spiritu Sancto locuti sunt sancti illi DEI homines. Ita igitur Prophetarum interpretatione opus habere credidit: ut tamen scripta illorum lucernam appellaret, splendentem etiam ante exortam Evangelij diem. Quamvis enim illi qui propius fidei sua præsidium in humanis decretis quarunt quàm DEI oraculis, negent ideò perspicuam esse scripturam, quia lucerna sit:*

*Bell. 1. 3. de  
verbo Dei  
cap. 1.*

*Lucernam enim vocari non quia intelligatur facile, sed quia intellecta illuminet & ad Christum iter ostendat: Pari tamen subtilitate hoc putamus dictum, quasi dicant, candelam ardentem, non facile videri: lucernam enim illam esse non quia videatur, sed quia visa illuminet & ostendat corpora præsentia. Quasi aliqua oculis lucerna esse possit, quæ ubi visa sit ostendat alia, ipsa tamen nequeat videri facile: aut aliqua menti lucerna esse possit, quæ ubi intellecta sit doceat alia, ipsa tamen nequeat intelligi. Si hoc velint; non quia lucerna sit præsens, etiam cæcis, vel clauden-*

*2. Cor. 4,  
3, 4.*

*tibus malitiosè oculos ostendit aliquid: Illis enim tantum qui videant sero vire lumen: Idipsum est, quod & nos maxime urgemus. Sed tum in oculis quidem sanitatem, obedientiam in corde, non in lumine proposito splendorem desiderent. Cæcus enim, aut rebelis ad videndum animo si fueris, tantò fortò videbis minus, quanto clarum & perspicuum magis offeratur lumen. Quapropter, si vel lectis, vel auditis scripturis sanctis, quid ad salutem necesse sit non intelligas; cum id fiat vel quia non habes oculos, vel quia quos habes aperire præ malitiâ nequis: frustra interpretem scripturæ, hoc est, lumen lumini addis: sed vel medicum requirere oportet; qui & cæcis visum, & lumen videntibus donat: vel magistrum; qui quod videre te jubet, facit simul ut videre desideres.*

*Discrimen*





Discrimen tamen perspicuitatis libenter agnoscimus. Aliter enim  
Lucerna, aliter dies illuminat. Lucerna, propiora duntaxat quadam &  
confuse plerumque, quasi dubia facie, videntibus obijcit: Dies etiam lon-  
gissime posita distincte ostendit. At ne ulla obscuritas fatuos humani in-  
genij ignes, & Papalis alicujus cathedra declarationem nimis commen-  
det, sciendum est: Sive prophetica doctrina quasi lucerna quadam; sive  
Evangelio quasi lucifero ac die ipso salutis viam hominibus Deus aperi-  
ret: Neminem unquam ideo accusatum ab eo fuisse quod plura non vi-  
deret quam ipse pro tempore monstrasset; vel quod obscuriora illa non sa-  
tis attenderet, quae verbi divini splendor diminuto jam lumine & quasi  
ultrima radiorum extremitate attingeret. Semper enim quantum neces-  
se est, quantum sufficit sciverunt & intellexerunt homines, si illud intelli-  
gerent & scirent modo, quod vel Deus coram loquens, vel Propheta ex-  
tra ordinem missi, ique tales ut de eorum auctoritate dubitare nemo bo-  
nus posset, vel scriptura illius temporis perspicue omnino docuissent. Per. Gen. 22,  
spicuum erat veteribus, ungendum aliquando quendam ex Abrahami, 18. & 26,  
ex Davidis semine, cujus apud Deum gratia multo magis quam vel A- 4. Deut.  
brahami olim, vel Mosis, vel Davidis pietas, suis ad declinanda ira di. 18, 15, 18.  
vina verbera profutura esset, & alia communiora, quae cuivis legenti vel 2. Sa. 7, 13.  
audienti ex Prophetis manifesta sunt. Qui igitur fidelem ejusmodi Ez. 34, 23,  
quamvis obscurum venturi Messiae intuitum, cum clarissimarum vivendi 24. & c.  
regularum gratia & studiosa, quantum humana ferebat infirmitas, ob-  
servatione conjungeret: haec tenus certe noctis illius vetustae caliginem su-  
perabat, ne velut oppressus tenebrarum spissitudine & exemptis ab omni  
conspectu vijs, subsistere in itinere & carere patria cogeret, sed ut, cum  
aemulitatem omnem via distincte cognoscere non posset, orbitam saltem  
deprehendens & discernens ab avijs, tuto porro & feliciter pergeret.

Si quis eo tempore absque spiritu Prophetico, illa quae nobis ex hi-  
storia Apostolica, particulariter ita nota sunt, ut dubitare de ijs nemo pos-  
sit, ex obscuriori Prophetarum indicio fuisset meditatione consecutus:  
(ut: crucifigendum esse gentilium auctoritate Messiam; regnum illius non  
mundano alicui simile sed caeleste ac invisibile futurum; gentes abrogatis  
Mosaicis ritibus ad communionem Ecclesiae & fidei venturas: & id ge-  
nus alia quorum nulla nunc a nobis pretendi potest, in veteribus autem  
quae fuit excusari debet ignorantia) eamque interpretationem ita propo-  
sisset Judaeis, ut quicumque hanc non recepissent, pro infidelibus illic ha-  
berentur: quamvis vera dixisset interpret ille, non tamen tam severum  
judicem



judicem Christi spiritu actum fuisse existimaturi sumus. Christus enim  
 discipulos suos quamvis non leviter negligentes & quasi semisomnes es-  
 sent ad spectandum accuratius oriens jam diei jubar, & neq; mortem, neq;  
 resurrectionem Christi, neq; regni ejus rationem, disertè licet expressam,  
 Mar. 9, 31, 32. comprehenderent: quia tamen credebant, Jesum illum esse de quo Pro-  
 pheta locuti fuissent, fratres, amicos, filiolos appellabat. Et cum Phari-  
 Mat. 12, 49. Ioh. 15, 14. & 13. risæis, melius alioqui sentientibus quàm Saducæi, propter violationem  
 iterum vix denunciet: eosq; hypocritas, cæcos, stultos, serpentes, ge-  
 Mat. 23, 27, 33, 13. nimina viperarum, filios gehennæ appellet, qui non intrent regnum  
 cælorum: Saducæos, qui interpretationis errore decepti, mortuorum re-  
 surrectionem, satis evidentibus quamvis testimoniis etiam in veteri Testa-  
 Mat. 22, 29. mento firmatam, non credebant, hoc quidem nomine inter errantes &  
 indoctos scripturarum solummodo collocat. Sicut ergo in rebus quas  
 oculis cernimus, de ijs quidem quæ clarè ac perspicuè apparent certum fe-  
 rimus judicium, de alijs quæ obscurius deteguntur, neq; nullum neq; ul-  
 timum omnino & distinctum ferimus: (quod enim longius à visu abest  
 animal fortè esse video, cervusne sit an equus sapè non discerno) sic in ijs  
 quæ mente & fide percipimus, quæ hoc modo scripta fuerint ut in contro-  
 versiam vocari sententia nisi ab impudentibus & à vultu tanto omnino  
 non possit; credamus firmiter. Si quæ ita in unam partem dicta fuerint,  
 ut in diversam non omnino impia & improbabilis dubitatio revocet: ge-  
 nerale quidem & commune illud quod utraq; pars includit retinere, fidei  
 officium est: In specialiori judicio quid probabilius vel verius sequaris in-  
 quirere, diligentia est: nihil tamen confidenter nimis decernere, ne-  
 que firmiter credendi, quasi clarissimè videndi quod non clarissimè  
 ostenditur, necessitatem imponere, æquitatis est & modestiæ.  
 Chrysost. Nam ut rectè Chrysostomus: docet etiam scriptura non quærere, quan-  
 in acta to magis non definire quædam. Et, ut Irenæus, Si in rebus creaturæ  
 hom. 23. quædam quidem eorum adjacent DEO, quædam autem & in nostram  
 Iren. l. 2, 6. 47. venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum quæ in scripturis re-  
 quiruntur, universis scripturis spiritualibus existentibus, quædam  
 quidam absolvamus secundum gratiam DEI, quædam autem com-  
 mendemus DEO, & non solum in hoc seculo sed & in futuro: Ut  
 U. 2. 6. 46. semper quidem DEUS doceat, homo autem semper discat quæ sunt  
 à DEO. Idem Irenæus, Sensus, inquit, sanus & qui sine periculo est &  
 religiosus



religiosus & amans verum, quæ quidem dedit in hominum potestatem DEUS, & subdidit nostræ scientiæ, hæc promptè meditabitur & in ipsis proficiet diuturno studio, facilem sententiam eorum efficiens. Sunt autem hæc quæ ante oculos nostros occurrunt, & quæcunq; aperte, & sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in scripturis. Quæ eadem ratione Augustinus, cum exprimere vellet, quid sine ullâ dubitatione credendum esset, illud duntaxat nominat, quod scripturarum divinarum, earum scilicet quæ Canonice in Ecclesiâ nominantur, perspicuâ authoritate firmatur.

Ep. 112.

Quod tamen in obscurioribus dubitandi licentiam permittimus, ita intelligendum est: nisi illarum aliunde majori lumine obscura esse desierint.

Additum hoc lumen interpretatio est, quæ cui competat gravissimam esse questionem, à quâ omnes controversiæ quasi dependeant, verè iudicat cum suis Bellarminus. Facile enim statuet quisq; quid in adversis partium sententijs sibi agendum sit, si & interpretem verum ceu iudicem competentem & sententiam ejusdem noverit. Fatetur Petrus lucernam Prophetica die tandem permittendam esse: ut in quibus durante nocte excusari hesitatio poterat, damnabilis fiat, si ortâ etiam luce perseveret. Hoc tamen primum intelligentes, addit, nullam prophetiam scripturæ esse propriæ explicationis. Non est nostrum, quod obscurum & dubium erat, creditu necessarium facere, si nostri modo ingenij & sequela quæ nobis privatim satis faciat lumine, loci obscuritatem adjuverimus. Quod enim pars erat divini luminis, integrum fieri non potest, si humanum lumen quasi lutum ferro mixturus addideris. Sed quod Spiritu ex parte revelante, ex parte videbatur, tum demum ita perspicuum efficietur, ut ad assensum perfectum omnes obliget qui cæcitate malitiosa & infidelitatis culpâ vacare velint: Si id eadem alibi plenius ac perfectius revelare placuerit. Et primò quidem etiam in Veteri Testamento patitur aliquando contextus orationis obscura, ut eundem habeat sensum quem alia ejusdem scripturæ loca, sine controversiâ, aperte significant. Nam & in prophetis libris, quamvis non ita universe ac in sacris omnibus, verum est quod inquit Basil. Τα ἀμϕίβολα καὶ ἐπι-  
καλυμμένα ἐκ τῶν ἁγίων βιβλίων ἐν τοῖς τόποις τῆς θεοπνευστικῆς γραφῆς, καὶ τῶν ἐκ τῶν ἄλλοις τόποις ὁμολογημένων οὐ διωρίζεται. Quæ ambigüe & quæ obscure videntur dici in quibusdam locis sacre scripturæ, ab ijs quæ in alijs locis aperta ac perspicua sunt explicantur.

De verbo Dei lib. 3.

c. 3.

In Asceticis τῶν ἁγίων τῶν ἁγίων καὶ ἐπι-  
καλυμμένα ἐκ τῶν ἁγίων βιβλίων ἐν τοῖς τόποις τῆς θεοπνευστικῆς γραφῆς, καὶ τῶν ἐκ τῶν ἄλλοις τόποις ὁμολογημένων οὐ διωρίζεται. Quæ ambigüe & quæ obscure videntur dici in quibusdam locis sacre scripturæ, ab ijs quæ in alijs locis aperta ac perspicua sunt explicantur.

Quod quasi. 267.



*Gen. 12, 3. Quod ad Abrahamum dicebatur: In te benedicentur omnes familiae*  
*Gen. 22, 18. terræ, si quis per illud explicaret, quod alibi dicitur, in semine tuo bene-*  
 dicentur omnes gentes terræ, non poterat aberrare qui in Abrahamo,  
 etiā semē ejus intelligeret. At reliqua obscuritas qua in extantibꝫ libris  
 per eosdē penitus & perspicuē aperiri non poterat, tam diu excusationem  
 præbebat ignorantibus, donec clariora eodem spiritu quo priora obscurius  
 dicta erant manifestissime adderentur. Et hoc quidē quatenus Deo vi-  
*Job. 1, 18. debatur, tum maxime factum est, cum qui est in sinu patris, veniens ad*  
*Job. 4, 34. nos Dei filius, Spiritu S. sine mensurā unctus, mysterium à seculis ab-*  
*Col. 1, 26. sconditum ita enarraret, ut nemo obscuritatem ullam jure allegare pos-*  
 set. Noverant omnes semen aliquod Abrahami fore, in quo omnes  
 gentes benedicendæ essent: at semen hoc Jesum esse, Mariæ filium,  
 sine virili semine, Bethlehemi occasione Cæsarij edicti natum, in ci-  
 vitate Nazareth educatū, per quem & hic orbis & universa quæ in il-  
*Job. 1. Col. lo sunt, visibilia & invisibilia in principio condita & facta sunt; &*  
*1. Heb. 1. que alia de ipso notissima sunt sanctis post illius adventum; tum, bene-*  
*Luc. 1, 77. dictionem in remissione peccatorum consistere, hæc à Christo demum*  
*Apoc. 19, ejusq; testibus clarissime habemus exposita. Testimonium enim Jesu,*  
 10. Spiritus est Prophetiæ. Hoc est: Quod prophetia docet, idem docet &  
 Evangelium: & hoc ipsum Evangelium illud est, quò Spiritus Prophetarum  
*Act. 10, 43. perpetuò respexit. Christo enim omnes Prophetæ testimonium*  
 perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejꝰ, omnes  
 qui credunt in eum, loquente per illos Spiritu Sancto. Idem testan-  
 tur, eodem Spiritu sed planius loquente, ex Christi ore, Apostoli; & ex  
 Apostolorum ore, quicumq; in illorum doctrinā simpliciter & fideliter  
 perseverant.

At vide quanto studio idegerit Deus, ne ullus probabilis ignoran-  
 tia aut obscuritatis prætextus reliquus esse posset. Quamvis Christus ex  
 annorum decursu, ex doctrinæ genere, ex concordantibus Prophetarum  
 locis, ex circumstantiis multiplicibus evincere posset, se esse illum quem  
*Joh. 10, 37, Prophetæ prædixissent: tamen opera ea addidit quæ etiam nullis ful-*  
*38. Job. tum argumentis in eâ ponere autoritate apud ipsos poterant, ut quicquid*  
 14, 11. esset locutus, verum ac divinum crederent: neq; ipse tantum ea fecit sed &  
 Apostolis, ut in nomine illig facerent gratiosè largitus est: refellens aper-  
 tissimè impudentiam & tyrannidem omnium illorum, qui cum longè sint  
 minores Christo, vel argumentis tamen sine evidentissimo scripturæ te-  
 xtū, vel



actu, vel miraculis sine argumentationibus firmis, vel sine utriusq; nescio cui  
successioni aut traditioni credendi necessitatem audent superstruere.

Habemus ergo, Veteris quidem Testamenti certissimam interpre-  
tationem Christi adventu ad nos allatam; eamq; pari cum ipso textu ad  
quem refertur autoritate recipiendam; & quanto in hac singula distin-  
ctius & clarius exponatur, tanto distinctius perfectiusq; singula creden-  
da esse. Sed quae in ipso Novi Foederis instrumento obscuriora relicta sunt,  
quae de illis, contrarijs sententijs disputantur, quo tandem interprete ex-  
plicanda, quove iudice definienda erunt? In antiqui foederis disciplina,  
per multa erant in quibus dubitare nulli permissum. In his, ut conces-  
sus, accommodandis ad captum populi, amplificandis, persuadendis, simi-  
lium ac dissimilium locorum collatione, velut malleo quodam magis ma-  
gisq; in animo defigendis, quod quisq; Spiritus Sancti gratia & medita-  
tione propria poterat, faciebat laudabiliter. In caeteris ut quisq; mode-  
stior erat, ita & melior sine dubio erat: neq; quicquam praeter ea quae ex-  
pressa ante fuerant, vel quae cum expressis evidenti omnibus equipollentia  
aut consequentia cohererent, cuiquam qui extra ordinarium prophetan-  
di munus probare non poterat, cum credendi necessitate licebat propone-  
re, & Messiae venturi officium praesumptione sua antevertere. Im nos  
quoq; ea quae Christi declaratione clara & perspicua facta sunt & nota  
secundum scripturas in Ecclesia omni tempore fuerunt, inculcemus, per-  
suadeamus, aptemus auditorum captui, quantum possumus. De obscuri-  
oribus quaramus modeste, & si omnino metuimus, ne suspensio modesto ju-  
dicio aliquid nescire videamur, id quod veritati & aedificationi magis  
consentaneum appareat indicemus: tantum ne ante tempus judicemus,  
ante nempe quam ipse Dominus secundo veniat, qui abscondita illu-  
minaturus & quae nunc ex parte est scientiam quasi a matutino lucife-  
ri splendore ortam, sua ipsius divina facie, quasi lucidissimo illustratam  
sole ad meridianam claritatem provecurus est.

Quodnam ergo iudicium illud est inquit, quod & Sacerdotibus o-  
lim & nunc Pastoribus clavium nomine mandatum est, si nulla Ecclesia  
dubiorum definitio competit? Sacerdotum officium erat docere non lei-  
gentes, quod legentibus poterat esse perspicuum: tum etiam legentibus  
inculcare prolixius & persuadere ea quae perspicue quidem sed paucis a  
Domino praecepta erant. Deinde interpretari legem, non addendo pra-  
ecepta legibus Mosaicis, aut explicando cum credendi necessitate alia qua  
aut

Eccel. 12,  
11.

Iob, 4, 25.

1. Cor. 4,  
5.

1. Cor. 13,  
9, 12.

Es. 60, 19,  
20.

Deut. 17,  
10. & seqq.

Matth. 16,  
19, & cap.

18, 17, 18.



*aut discretis Dei verbis aut idem saltem evidenter valentibus: Sed notas  
 legis regulas ad exempla, h. e. ad vitam & facta singulorum applican-  
 do. Deniq; si quid ex perspicuis Dei dogmatibus negaretur, asserendo:  
 Si quid aliis quam Dei verbis credendum traderetur, a canone divi-  
 nae fidei resecano. Nunquam autem damnare ut infidelem licuit, qui  
 diserta scripturae verba & notam ex illis perpetuo & liquido consensu sen-  
 tentiam non abnegasset. Qui enim iudex est a DEO datus ut secun-  
 dum legem iudicet, si veluti liquido iure, capitali crimine quempiam  
 damnet, ubi non est liquida & manifesta legis seu scripturae sententia;  
 & neg; DEI veluti Principis sui praefinito tempore ad futuri interpreta-  
 tionem exspectet, neg; appellationem ad illum, sententiam suo tempore  
 dicturum, subditis permittat: erga hos quidem Tyrannus, erga DEUM  
 rebellis futurus sit, cuius auctoritatem sibi superbe vendicat. Minimè au-  
 tem manifesta tyrannis, DEI usurpans auctoritatem, generali obedi-  
 endi praepositis vel audiendi illos praeposito inclusa unquam intelligenda  
 est. Si igitur intra justos illos limites consistat nostrorum etiam Pasto-  
 rum iurisdictio: Si verba Dei nondum audita diligenter doceant; au-  
 dita potenter perluadeant; vitam ovium, ad Evangelij regulam sincere  
 ac prudenter examinent, negantibus deniq; illa quae ex Dei verbo nota o-  
 mni tempore p̄s fuerunt, aut aliquid non perspicuum ex DEI verbo cum  
 credendi necessitate pertinaciter asserentibus anathema cum Paulo de-  
 nuncient: nostri quidem Ecclesiae iudicium non formidabunt, & su-  
 um in Romanum Pontificem anathema facile defendent.*

*Deut. 17,  
 11.*

*Heb. 13, 17.  
 Luc. 10, 16.*

*Gal. 1, 8, 9.*

*Sed hac de perspicuitate & interpretatione scripturae breviter &  
 ut ferebant pagellae spatia, repetere eum, qui ad interpretationem illius  
 publicam accessurus sit, cum aliquid more majorum praefandum esset, con-  
 veniens esse duxi. Quod reliquum est, uno verbo, ad orationem de ini-  
 tijs Theologiae qua proximo die Jovis in auditorio majori Deo ju-  
 vante initium mandarum mihi lectionum Theologica-  
 rum facturum sum, omnes qui huic studio fa-  
 vent officiosè & amanter  
 invito.*



*Ja 666*

ULB Halle 3  
002 177 021



*5b-700*

*Von 7*

*MC*









Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



astumq; sit,  
 IP. LITERARIÆ  
 ARE  
 OPT. MAX.  
 ente  
 iente  
 POTENTISS.  
 ANDEBURGICI  
 TUS ACADEMICI  
 ate  
 S BERGIUS  
 COL. D.  
 Sacrarum literarum,  
 m aggressurus  
 d  
 nculam  
 uditorio majori proœmii  
 est affectu omnes &  
 jus amatores  
 at.  
 LIS KOCHIL  
 624.

58.  
62

